

Lateinischer Text des Briefes von Fürstabt Gerbert an Frater Ringius:

Quod dudum sententia tenui, Latium transmigrasse Durlacum, novo argumento didici, tum tua de matre oratorum principis commentatione cum Molteri nostri, de Germania literata, oratione, quaeis me beastis, iterumque obstrinxistis. Salivam equidem movet Dactylotheca Lippertiana, sed nunc mihi in reparandis damnis litterariis occupato, de summe necessariis cura esse potest, quam sic impendo in auctionibus publicis librorum, ut dolorem numerosae bibliothecae flammis absumtae suppellex selecta nec modica adeo laniat. Lynceis eruditorum oculis haud displicuisse neptem meam, argumento mihi est, Argentoratensem informationem non esse frustraneam; certe commoratio ei tam dulcis est, ut honestam satis matrimonii conditionem in patria oblatam, acceptare tergiversetur. - Accipe, quod solum nunc mihi, tot curis distento, praesto est reciprocum munisculum literarium, in singularis amicitiae testificationem ac vale. [...] - Gratissimum mihi feceris si illustri Reinhardto ser[enissimo] a consiliis arctioribus salutem ex me plurimam referas, renunciesque, me in complendo opera monum[entorum] austriac[orum] desudare; sed qui adhuc Durlaci desideretur tomus Pinacothecae Austr. Austr. etsi iam impressus fuerit, exemplis omnibus conflagratis, tam cito haud fore restituendum.